

§. IX. Egregiæ interim coraliis (quanquam nobilitate ingnobilitateque differant) qualitates competunt. Occultæ verò sunt: ut ecce quando *cor cerebrumque* roborant, *mentem exhilarant*, *spiritus contemperant*, *morbo comitiali adversantur*. Cardanus lib. 7. subtilit. de lapid. f. 211. Dignissima notatu coraliorum cum corde sympathia intercedit, si vera sunt, quæ de pallore eorundem, ubi malè se cor habet, nostræ narrant mulierculæ. Modò certitudo subsit, neque absurdum id, neque sine exemplo factum. Hinc de coraliorum preciositate Historia Naturalis Scriptor, citato supra loco, inquit: *Autoritas baccharum ejus, non minus Indorum viris quoque pretiosa est, quam fœminis nostris uniones Indici. Aruspices eorum vatesque imprimis religiosi. gestamen amoliendis periculis arbitrantur. Itaque & decore & religione gaudent. surculi infantie adalligati, tutelam habere creduntur. Contraque torminum ac vesicæ & calculorum mala, in pulverem igne redacti, potique cum aqua, auxiliantur. Simili modo ex vino poti, aut si febris sit, ex aqua, somnum afferunt. Ignibus diu repugnant. Sed eodem medicamine sæpius poto, tradunt lienem quoque absumi. Sanguinem rejicientibus exscreantibusque medentur. Cinis eorum spissat ac refrigerat. Ulcerum cava explet, cicatrices extenuat. De his autem quid sentiendum fiet, prolixè videndus Beguinus, loco ante allegato erat. Ridemus nos Francisci Rueli superstitionem, dum infensos Dæmonas arcere coralia existimat. Ut hinc, addit, suspicandum sit, prudentem vetustatem, corallo per diversas formas effigiato, & ex ordine infilato, preces Marianas docuisse numerare.*

## C A P I T U M II.

DE

## B A L S A M O.

§. I. Ut de voce constet; Balsamum arbor, Opobalsamum succus, (ἀπό τῆς ὀπύης) carpobalsamum (ἀπό τὸν καρπὸν,) fructus, Xylobalsamum (ἀπό τῆς ξύλης) furculus ac cortex est & dicitur. Teutones, Latini, Græci, Arabesque, quæ nomen, conveniunt. Fluxit verò, si Becmanno non temerè hîc conjicienti, auscultemus, ab Ebræâ combinatione vocum בַּעַל שֵׁם baal sche-

in Orig.  
L. L. p. m.  
279.